



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Jacobi Alvarez de Paz Opera

De Vita Spirituali, Eivsque Perfectione - Libri quinque

Álvarez de Paz, Jacobo

Lvgdvni, 1611

Quintum excitatorium desiderij perfectionis; quod ipsum est signum
inhabitantis gratiæ. Cap. ix.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77833)

Quintum excitatorium desiderij perfectionis: quod ipsum est signum inhabitantis gratia.

C A P. IX.



Mnes homines incessit cupiditas occultis noscendis: hæc ad ea quæ mentis oculos fugiunt, peruidèda incessanter aspirant: nec intelligentiæ humanæ insatiabilis appetitus, sola rerum cõmuni cognitione satiatur, sed abscondita & arcana videre cõtendit. Hinc humanæ artes ac disciplinæ originem habuerunt, quia mortales rerum nouarum cupidi, ex effectus causas, & ex causis rursum pleniorè effectũ, & proprietatum notionem inuestigant. Hinc orta in hominibus effranatis, & qui nesciunt suis affectibus modum imponere, futurorum cognoscendorum indidretra cupido: quæ uolunt notione rerum super alios eminere, & quæ Deus sibi reseruaui, secreta rimari. Hinc in uiris studiosis assidua, & importuna operum naturalium inuestigatio, quæ & mentem aliquando uti liter, aliquando infructuosè occupant, & corpus extenuant, & plures annos, imò interdum omnem ætatem insumunt. Huic naturali appetitui sciendi, quatenus rationi & uirtuti subiectus est, gratia se interdum accommodat, dum spirituales viros ad meditando celestia, & ad profundorum Dei inquisitionem inclinat. Quæ profectò rerum naturalium etiam abditissimarum cognitione uulior est, quia meliora & altiora consequitur; quia in diuinæ sapientiæ, bonitatis & potentie admirationem rapit; quia pios & sanctos affectus excitat, & uoluntatem ardentissimo ac purissimo amore conditoris inflammat. Inter hæc uerò, quæ naturam superant, eorum cognitio si non altior, at iucundior est, quæ ad ipsum scientem & inuestigantem spectat. Nam sicut quisque se ipsum, quàm alium impensius amat, ita quæ ad se pertinent, uehementius scire desiderat. Quare (ut nunc Saulis superstitiosam curiositatem omittam, qui uoluit euentum belli excitato Samuele prænoscere) certè Petrus cognoscendi præmium desiderio tenebatur, quo omnium rerum dimissio, esset sibi, & aliis Apostolis Domini liberalitate soluenda. Filij quoque Zebedæi ad postulandas primas sedes uenerabilem matrem impellunt, ut scirent, quam sortem in regno Christi, quem uel locum essent occupaturi. Et omnes discipuli in celebri illa cœna de primatu contendunt, non tantum ambitione excellendi, sed etiam desiderio sciendi, quænam fors apud Dominum illos maneret. Ac forsitan ob id Apostolorum princeps est reprehensus, quod non tantum genus suæ mortis, sed etiam discipuli dilecti ausus est interrogare, quasi in hoc immoderatam sciendi concupiscentiam præferret, quam non eorum, quæ ad ipsum pertinebant, cognitio faceret. Et audit: Sic eum uolo manere, donec ueniam, quid ad te? tu me sequere.] Quæ dicta sunt, ut uideamus quantum homini placeat cognitio futurorum euentuum, aut eorum ad se pertinentium, quæ, quia naturam superant, summi gubernatoris decretum abscondit. Quod si quælibet notitia secretorum homini grata est, quàm gratum ac iucundum erit illi, animæ suæ faciem aliquo modo cognoscere, quæ nec corporeis oculis uideri po-

1. Reg. 28

Matt. 19.

Matt. 20.

Luc. 12.

Ioann. 21.

A test, nec sine speciali Dei auxilio, mentis luminibus spectari. Voco autem nunc faciem animæ, gratiæ diuinæ pulchritudinem, quæ à Deo grata & amica cognoscitur, tamquam filia, aut sponsa charissima cordis affectibus adamatur. Anima enim quæ peccato fordata est, quasi sine facie est, quia Dei imaginem, diaboli formæ, scilicet peccato, supposituit, & diuinam similitudinem in donis supernaturalibus constitutam, cœno iniquitatis obliuuit. Hanc faciem sanè pulcherrimam homo, sine speciali Dei illustratione certo, & sine dubio non potest cognoscere, quia nemo scit, an amore an odio dignus scit,] potest tamen ex aliquibus indicibus, & ex probabilibus argumentis ueròsimiliter coniectari. Quæ cognitio licet obscura, & minus certa, rerum naturalium cognitione certissima, tum præstantior, tum charior, & uulior est, quia non naturam, sed gratiam, rem utique altiorè pandit, quia donum, præstantissimum, & amplissimum hominis deregit, quia in nobis gratitudinem aduersus Deum, & amorem, & desideria proficiendi succendit.

Ecc. 9.

B Istius faciei animæ, siue istius gratiæ animæ insidentis, & eam supra quam dici possit, ornantis, duodecim superius indicia tetigimus, quibus homo utcumque cognoscit, se Deo gratum, & amicum existere, unum tamen in hunc locum distulimus, quod in nobis desiderium perfectionis excitet, & ad omnis uirtutis desiderium instiget. Illud autem est ipsum desiderium perfectionis, quod qui non seque, non infirmum, sed ardens, & accensum habuerit, & ad opera mortificationis, & noui profectus incitans, se iam peccati statum exuisse, & gratiam, ac animæ pulchritudinem impetrasse, de diuina misericordia præsumat. Neque id ineptè, quia uehemens iustitiæ & perfectionis desiderium eandem iustitiam præsupponit, quæ non animam obtineret, numquam illam tam efficaciter ad querendam sui perfectionem moueret. Profectò Leo Papa ita sentit, & ita loquitur, quasi magnum iustitiæ desiderium, ab ipsamet iustitia procedat. Felix mens, ait, quæ hunc concupiscit cibum, & ad talem æstuat potum: quem utique non expecteret, si nihil de eius suauitate gustasset. Audiens autem dicentem sibi propheticum spiritum: Gustate & uide, quoniam suauis est Dominus] accepit quamdam supernæ dulcedinis portionem, & in amore castissimæ uoluptatis exarsit: ut spretis omnibus temporalibus, ad edendam bibendamque iustitiam toto accenderetur affectu, & illius primi mandati apprehenderet ueritatem dicentis: Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo: quoniam nihil est aliud diligere Deum, quàm amare iustitiam.] Ex quo inter alia illud habemus, quod nostram assertionem confirmat, amorem scilicet, ac desiderium iustitiæ, quod uerum & efficax sit, nequaquam ab amore Dei posse diuelli. Si autem hic à Dei per gratiam præsentia dimanat, iustitiæ quoque & perfectionis desiderium, eandem gratiam præsentem indicat, quæ animam iam iustitiam prægustantem, ad ampliorem amorem eius alliciat. Deus intus habitans est, qui ianus cordis nostri pulsat, qui faces huius sanctæ concupiscentiæ admouet, qui hunc ignem desideriorum exuscitat, qui animas charitatis igne feruentes postulationibus maioris gratiæ, & amplioris puritatis accendit. Iam istæ animæ uenam purissimi auri, id est, charitatis inueniunt, quam tanta auiditate perfruiunt. Iam cibum uirtutis suauissimum prægustant, quem tam infuetis modis, & tot sanctis

Lib. 2. c. 3
c. 4.

C adiuuen

D

E

Leo ser. omnium sanct. c. 5.
Psal. 22.

Matt. 22.

adiuuen

ad inuentionibus, ad comedendum inquirunt. Iam intus sponsum habent, à quo tam potenter trahuntur, & post cuius odorem tam velociter currunt. Arbores, quæ si nondum fructus, at flores emittunt, vitam quidem vegetatricem participat, sine qua nullo modo florent, nec aduentum fructuum, florum odoribus quasi uocibus prænuuntiant: ita qui sanctorum desideriorum floribus exornantur, & vera concupiscentia sanctitatis rubeſcunt, non sunt longè ab spiritali vita, quæ post flores desideriorum abundè fructificat. Qualibet enim vita, sua habet desideria, & sua opera, ex quibus uelut ex effectibus, & proprietatibus, qualis ipsa sit, apertè dignoscitur. Vita ambitioni & superbiæ dedita, desideria superba & ambitiosa profert: uita auaritiæ & quæstui deserviens, desideria habendi, & congregandi diuitias gignit: uita uoluptatibus impuris addicta, turpia & obscena desideria procreat: uita carnalis desideria carnalia, & uita spiritalis desideria spiritalia emittit. Qui ergo desiderijs spiritalibus sollicitantur, ut virtutem quarant, & cordis munditiam amant, puritatem que promoueant, non uidentur diuinæ gratiæ, id est, uitæ spiritalis, expertes. Christus in eo conuiuio recumbit, ubi communes aquæ in optima uina uertuntur: qui in finem conuiuij, id est, in tempus gratiæ, ad quam timores pœnæ, & promissiones præmiorum ordinantur, optimum uinum referuat, iuxta illud: Tu autem seruasti bonum uinum usque adhuc. Ergo & Christus ab illo corde non abest, in quo frigida terrenorum desideria in feruida perfectionis desideria commutantur, quæ pristina ebrietati remedium afferunt, & mentem sobriam, & omnis boni amatricem inducunt. Nam quis potuit terram nostri cordis sanctis desiderijs excolere, & immunda, atque inquieta temporalium desideria conuellerè, nisi ille, qui in medio discipulorum positus, pacem, quam ore protulit, mentibus attulit, & uerbo omnes timores, & omnem turbationem profligauit?

Ista itaque perfectionis desideria iudicia sunt inhabitantis gratiæ, quæ animæ uitam, & nonnullam salutem attribuens, opera perfectionis ut sua uia proponit, & in eis non amaritudinem, sed dulcedinem sentit. Ille namque ciuus cœlestis, & Angelorum manibus populo israelitico præparatus, omnium saporum habebat inuentionem, quam (teste Augustino) non omnibus, sed bonis, & Deo fidelibus ministrabat. Illis enim qui dicebant: Quis dabit nobis ad uescendum carnes? Recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis. Nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi Man,] satis insulsus uidebatur, cui cibos uilissimos præferebant. Ita uirtus, atque perfectio, iustis & bonis dulcis est, malis & iniquis insulsa, & amara. Unde, qui perfectionem dulcem, & suauem sentiunt, & eius suauitate ille etiam nihil aliud quam sui abnegatione, quam uirtutis opera, quam mentis puritatem esuriunt, & siciunt, merito cum iustis computantur, à quibus nec desiderijs, nec uita desciunt. Quam ob rem Bernardus optime non tantum uirtutis opera, sed etiam uirtutis desideria gratiæ signa esse confirmat. Testimonium, inquit, præsentia eius præbent opera ipsa salutis, & uitæ, quæ nullatenus agere possemus, nisi spiritus, qui uiuificat, spiritus Saluatoris adesset. Quæramus igitur, ut dona sua multiplicet Deus in nobis & spiritu suum auget, qui iam primitias dedit. Nullum enim omnino præsentia eius certius testimonium est, quam desiderium gratiæ amplioris, quoniam ipse dicit: Qui edunt me, adhuc esuriunt; & qui bibunt me, adhuc sitient. Et quidem sapienter ex isto loco Ecclesiastici, suam, ac nostram assertionem

A desumit, quoniam hic cibus, & hic potus perfectionis talis natura est, ut qui aliquam prius stillam eius non hauserit, numquam illum uehementer desideret. Sicut enim rerum cœlestium intelligentiam, aut diuinarum promissionem acceptionem antecedit credulitas, iuxta illud: Si non credideritis, non permanentis, uel (ut uerterit septuaginta uiri) non intelligetis: ita famem & sitim, id est, desiderium uehementis perfectionis nonnulla eius possessio ordinariè præcedit. Quare qui hunc cibum suauissimum esuriunt, aliquam eius buccellam comederunt, & qui istud pretiosum uinum sitiunt, aliquem eius haustum biberunt, qui tamquam prænuntius sponsi, pulchra de illo loquens in corde sponsæ, scilicet, iustæ animæ, eius desiderium auxit, eius concupiscentiam ascendit. Iam sponsa cõplexus sponsi experta fuerat, quâdo surrexit, quando ciuitatè circuiuit, quando uigiles interrogauit, ut suauiores ex illo artham amoris acciperet. Sic anima, quæ desiderio sanctitatis capta, ab imperfectionibus surgit, & seipsam, ne aliquid ingratum sponso habeat, uindique circumspicit, & prælatos, ac magistros spirituales diligenter de uia salutis interrogat, iam suauitatem sponsi aliquo experimento cognouit, & aliquem amplexum diuinæ familiaritatis accepit. Sunt enim in perfectione gradus, & in uita spiritali profectus, qui ordinatè dispositi, unus alium prærequirit. Sicut ergo qui sacerdotium appetit, & examen presbyteratus subit, & ad illud ritè suscipiendum se præparat, iudicium præbet, se iam minores ordines, & usque ad Diaconatum percepisset: ita qui anima puritatem sitit, qui uel minores maculas eluere satagit, qui affectibus suis imperare gestit, qui in minimis etiam, (ut ea impleat) Dei uoluntatem exquirat, non obscurum præbet iudicium, quia iam uitam carnalem expulit, magna uicia destruxit, & omnem iniquitatem ablegauit.

C Si ergo tanti momenti apud animam esse debet, uincula peccatorum rupisse, & diuinam gratiam comparasse, quanti iustum est, aestimet perfectionis desiderium, quod istam gratiam animæ inesse utcumque patefacit? Dicit non semel ipsa cum sancto Iob: Quis mihi tribuat, ut cognoscam, & inueniam illum, & ueniam usque ad solium eius: Hoc uidelicet cupiens solum Dei fieri, & illum non solum propitium agnoscere, sed intra seipsam quoque manentem inuenire. Sed hoc, quod anima uehementer cupit, desiderium puritatis, & desiderium Dei non obscure demonstrat. Neque enim cuperet, quem non agnosceret, neque illum desideraret, cuius aliquando suauitatem non inuenisset, neque illi subesse uellet, cuius præsentia illam non mirum in modum honestasset. Literatus pileum desiderat sericis filis ornatum, quia scientiæ acquisitam peritiã designat; & nobilis non parui reputat crucem albam, uiridem, aut rubeam in pectore, quia eius nobilitatem declarat: & dux exercitus magni aestimat ducum & imperatorum insignia, quæ eum non communem militem, sed planè ducem, & aliorum caput manifestat; ita anima in magno pretio habeat perfectionis desiderium, illudque impensè desideret. Hoc enim ostendit, eam esse sapientem, quæ rerum labentium actionem agnouit, & ideo spreuit: ac rerum cœlestium pretium inuestigauit, & ideo concupiuit. Hoc signum est nobilitatis adeptæ, quæ anima ad filiorum Dei dignitatem prouecta, id amat, id quærit, id ambit; quod ipsi desiderant, nimirum spiritu crescere, & quotidie amplius Christi uirtutibus insigniri. Hoc demum iudicium est alicuius iam acquisitæ de mundo, de diabolo, & de carne uictoriæ, quia si anima aliquam libertatem non

Isai. 7.

Cant. 3.

Ioan. 2.

Ioan. 20.

Sap. 16.

Ang. epist. 118. ad Iannua. c. 3. & 2. re tra. c. 20. Num. 12.

Ber. ser. 2. de sancto Andrea.

Ecc. 24.

Iob 23.

Mat. 24.

Amb. li.
7. in Lu-
camad. c.
18.

Pſ. 102.

Iſa. 66.

accepisset, numquam ad maiorem aspirasset. Interrogatus semel Dominus à discipulis de signo aduentus sui, ac consummationis sæculi, inter alia respondit: Vbi cumque fuerit corpus, illic congregabuntur & aquilæ. Hoc signum non tantum illius est posterioris aduentus, quo Dominus mundum iudicaturus adueniet, & sæculum quoad mutabilitatem, & corruptibilitatem consummabit, sed etiam medi aduentus, quo spiritualiter in animam per gratiam venit, & sæculi in illa amore extinguit. Signum verò est aquilarum ad corpus congregatio. Dicit nobis Ambrosius, quid Aquilæ, corpusque designent. Iustorum animæ, inquit, aquilæ comparantur, quòd alta petant, humilia derelinquant, longævam ducere serantur aetatem. Unde & David animæ suæ dicit: Renouabitur sicut aquilæ iuuentus tua. Si igitur intelleximus aquilas de corpore, iam dubitare non possumus, maxime si meminimus, quòd à Pilato Ioseph corpus accepit. Christus igitur secundum Ambrosium corporis nomine designatur, eo quòd pro nobis mortem subiit, & ad vitam nostram in sepulchro corpus suum tribus diebus exanime dereliquit. Aquilæ verò sunt animæ iustæ, quæ spiritualibus sanctorum desideriorum alis imaretur terrenarum deserunt, & ad virtutum celsa conscendant. At ideo cum his alis, cum sanctis scilicet desiderijs, sui puritatem querunt, & Christum imitatione assequi, eique affectibus & operibus adherere concupiscunt, signum est Christum in illis per gratiam venisse, & amorem sæculi superasse. Hoc signum querat anima in semetipsa, quia signum prosperitatis est, & signum fœderis inter Deum, & ipsam, quo Dominum non iam sibi iratum, sed planè propitium, & placatum agnoscit. Signum est, quòd Deus non eam solam, sed multas alias animas eius ministerio saluandas inquirat. Quæ enim desiderio perfectionis ardet, numquam est sterilis, sed ipsum desiderium ad faciendum in aliis fructum prouocat, aut saltem virtutis exemplo eos docet & monet, & ad vitæ mutationem inducit. Neque enim omnino incongruè de hoc desiderio potest intelligi illud Isaia: Et ponam in eis signum, & mittam ex eis, qui saluari fuerint ad gentes in mare. Excitabo, dicit Dominus, in iustis meis vehemens perfectionis desiderium, quod est signum aduentus mei in illos, ac gratia mea; & tunc mittam illos in mare huius sæculi, ut alios vocent, & operibus bonis tamquàm magnis clamoribus ad emendationem vitæ conuertant. Qui igitur illuminati à Deo, hoc solum magnum putamus, eius gratiam promereri, & filiorum dignitatem adipisci, hoc desiderium perfectionis in nobis diuina gratia adiuuante excremus, quòd artha sit huius excellentissimi boni, & pretiosissimæ margaritæ, quam summis conatibus concupiscimus.

*Sextum excitatorium desiderij perfectionis:
quòd non proficere deficere est.*

CAPVT X.



ALIQVI fortè sunt in mundo à diaboli fallacis exempti, qui nollent thesauros recondere, & nouas diuitias acquirere, nemo tamen est, qui velit diuitias iam partas pessundare, & sine vlla causa in mare iactare. Quæ enim mala, & noxia putamus, libenter à nobis abiicimus, quæ verò bona, & vtilia sentimus, nullo modo refutamur, quare qui habitas diuitias tu bonas,

Atum viles iudicat, eas disperdere, atque consumere numquam in suam mentem inducet. Viri autem spirituales, & Deo dediti, virtutes, & perfectionis actiones, suas diuitias putant, & quidem sapienter: quoniã eorum possessione, & sibi, & alijs sufficiunt, & in bonorum congregatione ditescunt. Ideoque virginibus sapientibus præsignati sunt, quibus sanctorum operum oleum non defecit, ut lampadibus accensis læta sponsum exciperent, & ad æternas nuptias introirent. Licet ergo aliquando segnitie obruti, & mentis ariditate possessi, nolint has suas diuitias augere, numquam (ut credo) vellent, quas magnis laboribus iam quæserunt, dissipare, & pauperes, ac mendici permanere. Id ergo eos ad desiderium perfectionis nunc excitet, quòd si non nitantur proficere, & virtutem adeptam augere, eo ipso à virtute deficiunt, & opes spirituales iam partas prodigè, & insipienter imminuunt. Doctrina hæc difficilis, scrupulosa, imò & apertè falsa sciolis apparebit, qui puerilibus quibusdam rationibus eam euertere, & labefactere nitentur. Dicent enim fortassis intra semet ipsos; si, ut inquit Paulus, sine penitentia sunt dona, & vocatio Dei, quoniam modo diuina dona non promouere satis erit, ut extenuentur, & Dominus ipse non auferat, sed in nobis sine vlla penitentia custodit? Gratiam quoque, & charitatem, ac reliquas (præter fidem & spem) virtutes infusas solum peccatum lethale subuertit. Qui ergo in aliquo gradu gratiæ, & virtutum positus, numquam in graue peccatum incidit, licet tepidè viuat, & desideria proficiendi deponat, & nullo modo adeptam virtutem promouere curet, nequaquam ab illo gradu prius adepti deficiet. Nisi forsitan velimus nos quorundam antiquorum Theologorum opinionem suscitare, qui charitatem peccatis leuibus, si non destrui, at minui putarunt; & ita his peccatis, & similibus imperfectionibus eam extenuari dicamus. Cui doctrinæ meritò vbique contradicitur: fieret enim, ut quis tandem sine vilo graui peccato, sola multiplicatione minorum, charitatem omnino perderet, & diuinam gratiam amitteret. Quia philosophorum communis, & certa sententia est, finitum finiti ablatione posse consumi. Quare à finita charitate, & gratia, tot posse aliquis leuibus peccatis partes abscondere, ut deum illam omnino dissiparet. Et profectò, si non proficere, deficere est, sine vlla intermissione proficiendum esset, ne aliquantulum saltem ab adeptâ virtute excideremus. Ergo cum dormimus, cum cibum sumimus, cum animum infirmitatis causa laxamus; si quidem non proficimus in virtute, regredimur, & aliquid adepti feruoris discimus. A quibus operibus naturæ vtiq; necessarijs, cum nec viri sanctissimi, & perfectissimi homines abstinuerint, sequitur, illos à primâ virtute defecisse, nec merita sua iugiter (prout in hac vita fieri potest) nouis profectibus cumulasse.

EHis scientiæ humanæ, aut tepiditatis humanæ rationibus, nouit spiritualis sapientia respondere, nec difficulter, quoniam est in immensum, omni humana scientia sapientior. Atque (ut nunc eius partes agamus) proferamus primùm in medium, quid Ecclesiæ doctores, nobis diuinitus in lucem dari, de proposita doctrina fenserint, & inde meliùs veritatè eliciemus, ac meliùs nos ipso timore imminentis mali, ad desideria nouorum semper profectuum querendorum excitabimus. Augustinus quidem (ut principio doctorum sol nobis affulgeat) non semel, sed ter tepidos, & non proficientes deficere sine vlla ambiguitate confirmat. Nam quodam loco sic ait: Tamdiu non relabimur retro, quâdiu ad priora con-

tendimus:

Mat. 25.

Rom. 11.

August.